



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Super Iudicum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75090)



Quos bene nobis per significationem vacca in-  
nuunt, quæ sub arca Domini ad montana tenden-  
tes, affectu simul & rigido sensu gradiuntur, quarum  
dum vitulos clausissent domi, scriptum est: *Per-  
gentes & mugientes dantes quidem ab intimis mug-  
ijus, sed tamen à cepto itinere non descedentes  
gressus.*

1. Reg. 5.

CAPUT XXVIII.

Dent. 33. d

*Ferrum & æs calceamentum ejus.*

De virtute  
& constan-  
tia prædi-  
cationis  
Evangelii  
ca.

In expof. B.  
Iob. 1. c. 3  
in fin.  
Ephes. 6.

**H**Oc sub specie de sancta Ecclesia per Moysen  
dicitur. Calceamentum quippe in Scriptura  
sacra munimen prædicationis accipitur, sicut scri-  
ptum est: *Calceati pedes in preparatione Evangelij*  
*pacis.* Quia ergo per ferrum virtus, per æs autem  
perseverantia exprimitur: ferrum & æs calceamen-  
tum ejus dicitur, dum prædicationi illius acumine  
simul, & constantiâ munitur. Per ferrum enim  
mala adverstantia penetrat: per æs autem bona, quæ  
propofuit, longanimitè servat.

*Finis Libri Deuteronomii.*

CAPITVLA LIBRI  
JOSUE.

1. *Axa filia Caleph sedens super asinum suspiravit, etc.*
2. *Habitavit Chananeus in medio Ephraim tributarius.*

INCIPIT EXPOSITIO  
SUPER LIBRUM JOSUE.

CAPUT I.

Josue 15. d

*Axa filia Caleph sedens super asinum suspi-  
ravit, cui dixit pater suus: Quid habes?  
Ad quem illa respondit: Da mihi benedi-  
ctionem. Terram australem, et aridam de-  
disti mihi, junge et irriguam. Deditque ei  
pater suus irriguum superius, et irriguum  
inferius.*

De variis  
ac duobus  
potissimum  
compun-  
ctionum  
modis.  
Dial. lib. 3.  
cap. 34. in  
medio.  
Tract. idem  
locus Reg.  
1. 6. ep. 23.  
Ibidem in  
principio.

Thren. 2.

**X**A super asinum sedet, cum irratio-  
nabilibus carnis suæ motibus anima  
præsedit, quæ suspirans à patre ter-  
ram irriguam petit: quia à Creatore  
nostro, cum magno gemitu quæren-  
da est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli,  
qui jam in dono perceperunt liberè pro justitia lo-  
qui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere,  
ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lacryma-  
rum non habent. Hi nimirum terram australem, &  
arentem habent, sed adhuc irriguam indigent: quia  
in bonis operibus positi, in quibus magni atque fer-  
ventes sunt, oportet nimirum ut aut timore suppli-  
cij, aut amore regni cælestis mala etiam quæ antea  
perpetraverunt, deplorent. Et licet in multis spe-  
cies compunctio dividatur, quando singulæ quæque  
à penitentibus culpæ planguntur; unde ex voce  
quoque penitentium Hieremias ait, *Divisiones a-  
quarum deduxit oculus meus;* principaliter tamen  
compunctio generata duo sunt: quia Deum si-  
tens anima prius timore compungitur: post, amore.  
Prius enim sese lacrymis afficit, quia dum malorum  
suarum recordatur, pro his perpeti æterna supplicia

partimefcit. At verò cum longa mæroris anxietate  
fuerit formido consumpta, quædam jam de præ-  
sumptione veniæ securitas nascitur, & in amore  
cælestium gaudiorum animus inflammatur: & qui  
prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmo-  
dum flere amarissimè incipit, quia differtur à regno.  
Contemplatur etenim mens, qui sint illi Angelorum  
chori, quæ societas beatorum spirituum, quæ ma-  
jestas æternæ visionis Dei, & amplius plangit quia  
à bonis perennibus deest, quam flevit prius quando  
mala æterna metuebat. Sicque fit ut perfecta cõpun-  
ctio formidinis, tradat animum cõpunctiohi dilectio-  
nis. Quod bene in hac sacra veracique historia figu-  
rata narratione describitur. Quia ergo, ut dixi, duo  
sunt compunctiohi genera, dedit ei pater suus irri-  
guum superius, & irriguum inferius. Irriguum quip-  
pe superius accipit anima, cum sese in lacrymis cæ-  
lestis regni desiderio affligit. Irriguum verò inferius  
accipit, cum inferni supplicia flendo pertimefcit. Et  
quidem prius inferius, ac post irriguum superius  
datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præ-  
eminet, necesse fuit, ut prius irriguum superius, &  
post irriguum inferius commemorare debuisset.

Ibidem in  
fin.

CAPUT II.

*Habitavit Chananeus in medio Ephraim tributarius.*

**P**lerumque hi, qui magnis jam virtutibus splen-  
dent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid reni-  
tentes sustinent: ut etiam magna vitæ claritate lu-  
ceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes  
trahant. Quod ad hoc, sicut dictum est, agitur, ut  
mens proficiens ad virtutem justitiæ sua melius in-  
firmitate roboretur. Et inde verius in bonis luceat,  
unde eam etiam nolentem parva reprehensibilia hu-  
militer obscurant. Unde & bene cum Israëlito  
populo percepta repromissionis terra partiretur,  
Ephraim tribui Chananeus gentilis populus non  
occisus sed factus tributarius dicitur. Sicut scri-  
ptum est: *Habitavit Chananeus in medio Ephraim  
tributarius.* Quid enim Chananeus, gentilis vide-  
licet populus, nisi vitium significat? Et læpe in ma-  
gnis virtutibus terram repromissionis ingredimur:  
quia spe intima de æternitate roboramur. Sed dum  
inter acta sublimia vitia quædam parva retinemus,  
quasi Chananeum vivere in terra nostra concedi-  
mus. Qui tamen nobis tributarius efficitur: quia  
hoc ipsum vitium, quod subijcere non possumus,  
ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus. Ut  
ed de se mens, & in summis vili sentiat, quò suis  
vitibus, etiam parva, quæ appetit, non expugnat.  
Unde bene rursum scriptum est: *Hæ sunt gentes,*  
*quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel.* Ad  
hoc namque quædam minima vitia nostra retinen-  
tur, ut sese nostra intentio sollicita in certamine  
semper exerceat: & ed de victoria non superbiat,  
quò vivere in se hostes conspiciat, à quibus adhuc  
vinci formidat. Israël ergo reservatis gentibus eru-  
ditur, quando in quibuldam minimis vitiis elatio  
virtutis nostræ comprimitur, & in parvis sibi resi-  
stentibus discit, quòd ex se majora non subigit.

Ob humi-  
litate re-  
prehensibi-  
lia quædam  
intendum  
in electis  
relinquuntur.

In expof. B.  
Iob. 4. c. 21  
in min.

Ibid. 1.

*Finis Libri Josue.*

CAPITVLA LIBRI  
JUDICUM.

1. *Gedeon cum à paleis frumenta divideret, Angelum vidit, etc.*
2. *De pugna Gedeonis adversus Madianitas.*
3. *Manue, viso Angelo pertimescens dixit: Morie*



Morte moriemur, quia vidimus Domi- num, &c.

- 4 De Samsone, qui Gazam egrediens portas secum civitatis detulit.
- 5 De Samsone, qui cum maxilla asini multos occidit.
- 6 De Samsone, qui amissis oculis, ab Allophylis ad molam deputatus fuit.
- 7 De Samsone, qui paucos cum viveret interemit, everso autem templo, multos cum moreretur occidit.
- 8 Quod de tribu Benjamin in carnis scelere detectam, dum collectus Israel ulcisci voluisset, prius ipse prostratus est, & tunc peccatricem tribum funditus extinxit.



INCIPIIT EXPOSITIO SUPER LIBRUM JUDICUM.

CAPUT I.

*Ind. 5. b* Gedeon cum à paleis frumenta excuteret, Angelum vidit, ad cuius imperium protinus badum coxit, quem super petram posuit, & jus carniū desuper fudit, quæ Angelus virga tetigit, eaque ignis exiens C de petra consumpsit.

De perfectorum ludiis. In expof. B. 186. l. 1. c. 7. circa med.



U I D est frumentum virgâ cædere, nisi rectitudine iudicij à vitiorum paleis virtutum grana separare? Sed hæc agentibus Angelus apparet, quia tantò magis Dominus interiora denunciat, quantò se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hædum præcipit, id est, omnem appetitum nostræ carnis immolari: carnesque super petram poni, & jus carniū desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat Christus?* Carnes ergo super petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carniū desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam à se carnales cogitationes exinanivit. Quasi enim jus ex carne liquidum in petra funditur, quando mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox Angelus virgâ tagit: quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorij deserit. De petra autem ignis exit, & jus, carnesque consumit: quia afflatus à Redemptore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat; ut omne quod in eo est illicitum, & operis & cogitationis exurat. Perfecta enim mens solerter invigilat, ut non solum perverfa agere renuat, sed omne etiam quod in se per cogitationes turpiter liquatur, tergat.

CAPUT II.

*Ind. 7. a* De pugna Gedeonis adversus Madianitas.

De præfigurata Redemptoris incarnatione, electorumq; ejus miraculis. In expof. B. 187. l. 30. c. 17. paulo post m.

G EDEON cum exercitus multitudinem ad bella procureretur, divina illi admonitione præceptum est, ut ad fluvium veniens, omnes, quos flexis genibus aquas haurire conspiceret, à bellorum conspectu removeret. Actumque est, ut trecenti viri tantummodo qui stantes manibus aquas hauserant, remanerent. Cum his ad prælium pergit, eosque non armis, sed tubis, lampadibus, & lagenis armavit. Nam sicut illic scriptum est; *Accensas lampades miserunt intra* S. Greg. Tom. III.

A *Ligunculas, & tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tenere, & ad hostes suos cominus venientes cecidit tubis, confregit ligunculas, lampades aperuerunt, & hinc tubarum sonitu, illinc lampadium coruscatione territi hostes sunt in fugam conversi.* De hoc namque bello per Prophetam dicitur: *Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Eripiens quippe Dominus gentilitatem superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit virgam humeri ejus, cum percussione illius, quæ ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere Redemptor compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli, qui pro pestifera perpetratoe vitiorum exigere consueverat debita tributa pœnarum, de fidelium corde destruxit. Quid hoc est, quod tale bellum per

In expof. B. Tob. l. 30. c. 16. circa fin. 1. s. 9.

Prophetam ad medium adducitur, & adventui Redemptoris nostri, istius pugne victoria comparatur? An indicare nobis Propheta studuit, quòd adventum Redemptoris nostri, contra diabolum illa sub Gedeone duce pugne victoria designavit? Talia nimirum illic acta sunt, quæ quantò magis usum pugnandi transeunt, tantò amplius à prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim unquam cum lagenis, & lampadibus ad prælium venit? Quis contra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis hæc profectò fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ipsa attestante dicimus, ne parva hæc quæ facta sunt perpendamus. Gedeon itaque ad prælium veniens Redemptoris nostri signat adventum. De quo scriptum est: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloria.* Quis est iste rex gloria? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Hic Redemptorem nostrum, non solum opere, sed etiam nomine prophetavit. Gedeon namque interpretatur, circumiens in utero, Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia complectitur, & tamen per dispensationis gratiam intra uterum virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, & humanitatem intra uterum sumens? In quo utero & incarnatus est, & clausus non est. Quia & intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, & extra mundum per potentiam majestatis. Madian verò interpretatur de iudicio. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de iudicio justè judicantis fuit, & idcirco de iudicio vocantur: quia alieni à gratia Redemptoris justæ damnationis meritum etiam in vocabulum trahunt nominis. Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo per ter ductum centenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Cum his quippe Dominus noster adversarios fidei destruxit, cum his ad prædicationis bella descendit, qui possunt divina cognoscere, qui sciunt de Trinitate (quæ Deus est) perfecta sentire. Notandum verò est, quia iste ter centenarius numerus in *Tau* littera continetur, quæ crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam id quod in cruce eminent, adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in *Tau* littera continetur, & per *Tau* litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immeritò in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt, quibus dictum est: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Qui sequentes Dominum tantò verius crucem tollunt, quantò acrius & se edomant, & erga proximos suos chari-

R r

EGO  
TIM  
2.3



tatis compassione cruciantur. Unde & per Ezechielem Prophetam dicitur: *Signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium.* Vel certe in his trecentis, qui in *Tau* littera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium crucis \* signo superetur. Ductique sunt ad fluvium ut aquas biberent, & quia quas flexis genibus hausere, à bellica intentione remoti sunt Aquis namque doctrina sapientia, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt genu flexisse perhibentur, à bellorum certamine prohibiti recessere: quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinae fluentia hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. Omnes quippe tunc bibisse aquam, sed non omnes recto genu sterisse narrati sunt: reprobati que sunt qui genua dum aquas biberent inflexerunt: quia attestante Apostolo, *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Quia enim, ut diximus, dissolutio operum in ipsa genuum incurvatione signatur, rectè rursum per Paulum dicitur: *Remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.* Hi igitur Christo duce ad bellum procedunt, qui hoc, quod ore annunciant, opere ostendunt: qui fluentia doctrinae spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis operibus carnaliter inflectuntur. Quia sicut scriptum est: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Itum est ergo ad prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis. Inusitatus iste, ut diximus, fuit ordo praeliandi. Cecinerunt tubis, & sinistris lagenae tenebantur, intra lagenis autem sunt missae lampades. Confractis verò lagenis lampades ostensa sunt: quarum coruscante luce, hostes territi in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis clamor praedicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe dux noster secum ad praedicationis praelium duxit, qui de spectata salute corporum hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladiis non armis & gladiis, sed patientia superarent. Armaticenim venerunt sub duce suo ad praelium martyres nostri, sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus: qui sonuerunt tubis, dum praedicant; confregere lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis opponunt. Resplenderunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt, moxque hostes in fugam versi sunt: quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscant, luce veritatis fracti quod impugnaverunt, crediderunt. Cecinere ergo tubis ut lagenae frangerentur: lagenae fractae sunt, ut lampades apparerent: apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur, id est, praedicaverunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur. Corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent: coruscavere miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent: quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent. Et notandum quòd steterunt hostes ante lagenas, fugerunt ante lampades: quia nimirum persecutores sanctae Ecclesiae, fidei praedicatoribus adhuc in corpore positos restiterunt: post solutionem verò corporum apparentibus miraculis, in fugam versi sunt; quia pavore conterriti, à persecutione fidelium cessavere. Praedicatione scilicet tubarum fractis lagenis corporum, visis timuerunt lampadibus miraculorum. Intuendum est etiam id, quod illic scriptum est, quia in dextera tubas, lagenas autem in sinistra tenuerunt. Pro dextero enim habere dicimus, quidquid pro magno pensamus: pro sinistro verò, quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est, quòd in dextera tubas, & lagenas in sinistra tenuerunt: quia Christi martyres pro magno habent praedicationis gratiam, corporum verò utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis, quam gratiam pra-

edicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet. Si enim primo loco gratia praedicationis attenditur, & posteriore utilitas corporis, certum est, quia in dextris tubae & sinistris lagenae teneantur.

## CAPUT III.

*Manue, viso Angelo, pertimescens dixit: Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Quem uxor protinus consolatur, dicens: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, & libamenta non suscepisset.*

**Q**uid est quòd visione Angeli vir fit timidus, & mulier audax: nisi quòd nobis quories caelestia demonstrentur, spiritus quidem pavore se contremiscit, sed tamen spes praesumat? Inde namque spes ad majora addenda se erigit, unde turbatur spiritus: quia ea, quae superna sunt, prior videt. Quia cum altiora secretorum caelestium sublevata mens conspicit, cuncta humanarum virium soliditas contremiscit.

## CAPUT IV.

*Samson cum Gazam civitatem Philistinorum fuisset ingressus, illico custodes deputare: sed ille exiens, portas civitatis tulit, & montis verticem ascendit.*

**Q**uem hoc in facto nisi Redemptorem nostrum Samson ille significat? Quid Gaza civitas, nisi infernum designat? Quid per Philisthaeos, nisi Judaeorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulchro jam positum, custodes illico deputaverunt: & eum, qui auctor vitae clarierat, in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson verò nocte media non solum exiit, sed etiam portas tulit: quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit, portas tulit. Et montis verticem subit: quia resurgendo, claustra inferni abstulit, & ascendendo caelorum regna penetravit.

## CAPUT V.

*De Samstone, quòd cum maxilla asini multos occidisset, ea projecta in terram, aquam fuderit.*

**Q**uorum hinc per maxillam asini, nisi praedicatorum Ecclesiae personae designantur? Redemptor enim noster simplicitatem, atque patientiam praedicatorum suae manu virtutis tenens, à vitis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram projecta, postmodum aquas fudit: quia data morti praedicatorum corpora, magna populis monstravere miracula.

## CAPUT VI.

*De Samstone, qui amissis oculis ad molam ab Allophylis deputatus est.*

**S**ciendum est, quòd aliquando prius oculorum Sinellectus obtunditur, & postmodum captus animus per exteriora desideria vagatur, ut caeca mens quòd ducitur nesciat, & carnis suae illecebris sese libenter subdat. Aliquando verò prius desideria carnis ebulliant, & post longum usum illiciti operis, oculus cordis claudunt. Nam saepe mens recta certat, nec tamen audenter contra perverfa erigit; &



renitens vincitur, dum hoc ipsum quod agit dijudicans carnis suae delectatione superatur. Quia enim plerumque prius oculus contemplationis amittitur, & post per carnis desideria hujus mundi laboribus animus subjugatur. Testatur Samson ab Allophylis captus, qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est: quia nimirum maligni spiritus postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt.

CAPUT VII.

*Ind. 15. g* De Samsons quod paucos, cum viveret, interemit, everso vero templo multos cum moretur, occidit.

**C**UJUS hoc loco per Samsonem, nisi Redemptoris nostri persona signatur? Samson enim dum viveret paucos occidit, everso vero templo maximam adversariorum suorum multitudinem etiam ipse moriens stravit. Et Domino nostro predicante pauci ex plebe Israelitica crediderunt, innumeri vero gentium populi vitam illo moriente secuti sunt. Superbos namque dum adhuc passibilis viveret pertulit, a passibili vero vita multos dum moretur, stravit. Quod bene Samson in semetipso dum figuratiter expressit, qui paucos quidem dum viveret interemit, destructo autem templo hostes innumeros cum moretur occidit: quia nimirum Dominus ab elatione superbia paucos cum viveret, plures vero cum templum sui corporis solveretur extinxit, atque electos ex gentibus, quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit.

CAPUT VIII.

*Ind. 20.* Quod tribum Benjamin in carnis scelere delectam, dum collectus omnis Israel ulcisci voluisset, prius ipse prostratus est, & tunc peccatricem tribum funditus extinxit.

**Q**UI semetipsum prius non iudicat, quid in alio rectum iudicet ignorat. Et si novit fortasse per auditum quod rectum iudicare debeat, recte tamen iudicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiae propriae nullam iudicij regulam praebet. Hinc est quod cum tribus Benjamin in carnis scelere fuisset obruta, collectus omnis Israel ulcisci iniquitatem voluit, sed tamen semel & iterum in belli certamine ipse prostratus est. Consulto autem Domino si ad ulciscendum ire debuissent, iustum est. Qui juxta divinae vocis imperium perrexit, & semel & secundo perdidit, & tunc demum peccatricem tribum valde feriens pene funditus extinxit. Quid est ergo quod in ultione sceleris inflammatur, & tamen prius ipse prosternitur, nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpa feriuntur? Ut ipsi jam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant. Unde insidiantibus quibusdam & ad puniendam adulteram deducentibus dicitur: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Unde necesse est, ut, cum contra nos ultio divini examinis cessat, nostra se conscientia ipsa reprehendat, atque ad lamenta poenitentiae ipsa se contra semetipsum erigat, nec contra bonos elata, & sibi humilis, sed contra se rigida sit, bonis vero omnibus submissa.

*Finis Libri Iudicum.*

S. Greg. Tom. III.

CAPITVLA LIBRI PRIMI REGUM.

- 1 *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.*
- 2 *Dominus iudicabit fines terra.*
- 3 *Tollentes duas vaccas, quae lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, &c.*
- 4 *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribus Israel?*
- 5 *Item unde supra.*
- 6 *Item unde supra.*
- 7 *Item unde supra.*
- 8 *Melior est obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum.*
- 9 *Ecce spiritus Dei malus exagitat te.*
- 10 *Quod cum Saul spiritus immundus invaderet, apprehensa David cithara ejus vesaniam sedabat.*
- 11 *De David & Golia.*
- 12 *Saul persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat, etc.*
- 13 *De renunciatione Abigail ad Nabal.*
- 14 *Aegyptium puerum Amalechita in itinere agrotum deserunt, quem David cibo refecit, etc.*
- 15 *Item unde supra.*



INCIPIT EXPOSITIO SUPER I. LIBRUM REGUM.

CAPUT I.

*Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.* 2. Reg. 1. c.



**Q**UIA videlicet mens ejus nequaquam post preces inepta laetitia lascivendo perdidit, quod orationis suae tempore gemitum rigore exquisivit.

*In expof. B. Job. l. 33. c. 21 circa fin. 2. Reg. 2. b*

CAPUT II.

*Dominus iudicabit fines terra.*

**P**LUS Conditor noster facturam suam non defrens, mala hominum, & per suam patientiam tollerant, & per eorum quandoque conversionem relaxat, cum duras atque insensibiles mentes respicit, modo duras minis, modo verberibus, modo revelationibus manum deterrit: ut quae pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant; quatenus vel sero redeant, & hoc ipsum saltem quod diu expectati sunt, erubescant. Scit enim Dominus quia extrema vitae nostrae plus iudicat, & idcirco electos suos in fine sollicitius purgat. Hinc ergo scriptum est: *Dominus iudicabit fines terra:* quia tanto impensius ultimis nostris invigilat, quanto in ipsis impendere initia vitae sequentis pensat.

*De diving misericordiae circa genus humanum deterrit: ut quae pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant; quatenus vel sero redeant, & hoc ipsum saltem quod diu expectati sunt, erubescant. In expof. B. Job. l. 29. c. 6 circa fin.*

EGO  
IM  
n.3